



Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

VI. Majores Magistratus non debere esse annuos atq[ue] ambulatorios, ut
minores, sed perpetuos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39028

In EPILOGO dices, iis qui solis reb⁹ gestis ac me-
 ritis majorum ac parentum suorum freti honores
 ac officia petunt, respondendum esse quod Anti-
 gonus II. adolescenti cuidam respondit, qui patris
 fortis, ipse non fortis, stipendium petiit: *Ὀτι πατ-
 ρίας ἀπὸ ἀνδραγαθίας ἐστίν*: non ob patrias, sed pro-
 prias cuiusque viri virtutes mercedem ac munera
 dare soleo. (*Plut. in Apoph.*) cum verò veteris pro-
 sapiæ multarumq; imaginum homines in obscuris
 virtutem despiciunt, dicendum quod apud Salu-
 stium Marius dicit: tales semetipfos ac majores su-
 os despiciere, quibus etiam ex virtute aliquando
 nobilitas cœpit. (*In bello Iugurth.*)

VI. MAIORES MAGISTRATUS NON
 debere esse annuos atq; ambulatorios, ut
 minores, sed perpetuos.

IN EXORDIO fateberis, minores magistratus de-
 bere esse annuos & mutabiles, ne ad fastum, ac
 tentandas res novas extollantur, & ut honores
 non paucis, sed plurimis civibus pro suis meritis
 tribuantur, atq; ita invidia tollatur, & seditionum
 ac discordiarum fibræ evellantur.

In PROPOSITIONE: Te probaturum majores
 magistratus debere esse perpetuos.

CONFIRMATIONIS I. RATIO *ab incommodis mu-
 tabilis Magistratus*: PRIMÒ, quia omnis in Rep.
 mutatio solet esse perniciofa: & ut in corpore vi-
 ctus ratio mutata parum prodest, ita Magistratu-
 um in Rep. mutatio nequaquam eidem commo-
 dat: cum à Magistratibus novis nova consilia, no-
 vae leges, nova rerum omnium facies ad Remp.
 soleat promanare. (*Arist. 2. Polit. c. 6.*) SECUNDÒ,
 annui Magistratus, ac paucò tempore circumscri-
 pti hoc habent, ut cum quis aliquid in his didice-
 rit, prius decedit, quàm ejus exhibere specimen
 possit. (*Dio. lib. 52.*)

II. à commodis perpetui Magistratus: PRIMÒ: Qui iisdem rebus perpetuò præfunt, etiam si minus ingenio valeant, longa tamen experientia cæteris antecellunt. SECUNDÒ: Ita subditis melius consulitur. Vnde Tiberius Imperat. cum amici quererentur, illum potestates & imperia perpetua fecisse, respondit: Hirudines, quæ multò sanguine hausto rumpuntur, quiescere; recentium morsus acerrimos esse: sic novos Magistratus quidquid sanguinis est & medullarum summa aviditate haurire, ut veteri proverbio dicitur,

Non parcat populo regnum breve.

III. à Necessitate. Nam cum autoritate ac majestate imperare non potest, qui se brevi privatum fore metuit; majestate verò imperandi ac dignitate detracta, Magistratui quis parebit? quis metu contineri poterit? quis imperata exequetur? Sin potestas perpetua erit, & cum dignitate imperabitur, & cum obsequio parebitur: nec Magistratui metuendum erit, ne aliquando privatorum contumelias, aut improborum calumnias ferre cogatur.

IV. ab Exemplis: Deus ipse Magistratus ac Judices perpetuos constituit; eosdem sua in Rep. Platō requirit.

In EPILOGO monebis Auditores, ut bonos Magistratus non temere mutent.

VII. MELIUS PVBLICE, ET IN
Scholis, quàm privatim juventutem institui.

IN EXORDIO docebis ex Speculo meo Magistratum (*sign. 59.*) quam utilis & necessaria sit privata juventutis educatio, & institutio.

In PROPOSITIONE dices, te ostensurum melius publicè, quàm privatim institutionem hanc adhiberi,

CON-